

52. Est enim Natura sive Essentia divina ita communis toti Trinitati, ut tamen tota sit in singulis personis.

53. Et, ut supra etiam dictum, hypostasis sive persona in divinis non est aliquid extra & præter Essentiam divinam existens, cui postea Essentia demùm communicata sit.

54. Neque Essentia etiam divina, extra vel præter hypostases ita existit, ut in una & eadem Persona, Hypostasis & Essentia realiter differant. Utroque enim modo introduceretur Quaternitas.

55. Quin potiùs, eadem & simplicissima divina Essentia dupliciter consideratur, vel Absolutè, quatenus communis est tribus personis: vel Relatè, sicut tota est in singulis personis; in Patre quidem, tota Essentia divina, sed gignens: In Filio, tota Essentia divina, sed genita: In Spiritu Sancto, tota Essentia divina, sed procedens.

56. Rectè igitur, verè ac piè cum tota Orthodoxa Antiquitate credimus: Naturam seu Essentiam divinam in persona Filij; vel, quod eòdem recidit, Naturam divinam ab æterno genitam, totam incarnatam esse, sive totam Personaliter sibi univisse humanam naturam.

57. Bis ergò impius & blasphemus est Iesuita Bellarminus Sacramentarij succenturians asse-

P 2 rens.

Tom. 1.  
Controv.  
fol. 274.